DISSERTATIO 5

DE

SYPHILIDE,

ABSQUE HYDRARGYRO CURANDA, CURATIONISQUE SEQUELIS.

AUCTORE M. M. MAHONY.

PROOEMIUM.

Animus erat in hocce academico libello signa primaria, uti nunc dierum videntur, genitalia afficientia, eorumque sequelas, cum iis vetustioribus auctoribus, scilicet ante saeculum decimum sextum comparasse, similitudinemque ostendisse; sed in hac re, amicum Doctorem Josephum Brown, in Dissertatione de Morbis Venereis, me antevenisse sentio. Minus lubens ergo, brevem historiam medicinae novae abs-



que hydrargyro aggredior, etiamsi inter primos fui chirurgorum militarium qui hanc investigationem coluerim, posteaque constanter secutus sim ; quoniam commentariis meis amotis, documentis, quae rem illustrarent manifeste careo ; nec abest etiam metus, ne non argumenta, sed etiam praejudicia sibi opposita, libellus noster inveniat. Veri tamen magis amans, quam controversiae metuens, progredior.

CURATIONIS ANTIMERCURIALIS ORIGINES.

Hydrargyrum in syphilidem usurpatum est, brevi post primam, ut creditur, in Europam ejus manifestationem anno 1494 *. Pessimi ejus, in plurima corpora, effectus cito malam ei famam conciliaverunt, atque alia remedia minus noxia, constantiusque eandem actionem exhibentia, ei substituenda, quaerebantur. Varia remedia proposita sunt, famaque evanida fruebantur ; adeo etiam, ante annum salutis

* Vide arresté du Parlement de Paris, portant reglement sur le fait des Malades et la Grosse Verole, 6. Mars 1496.

nostrae 1508, guaicum locum hydrargyri occupaverat, quod quidem brevi postea, ut noxium quiddam, usu interdictum est.

Annis 1530 et 1535 sarsaparilla radixque China remedia erant usu accepta.

Deinceps tota materia medica identidem expilata est, atque multae plantae, alkali volatile, acida fossilia, aliaque singula suo tempore tentata sunt; neque fautoribus caruerunt, iterumque in desuetudinem deciderunt, pro temporum inconstantia saepe, saepius quidem ex laudibus nimis tumidis, quibus primo promulgantes spem immodicam excitaverant.

" The ill success," inquit J. PEARSON, " which, in a great variety of instances, attend-" ed the exertions of the early practitioners, " and the deplorable condition to which great " numbers of their miserable patients were re-" duced, by the mal-administration of this ac-" tive mineral, soon brought this mode of treat-" ment into disrepute, and excited inquiries af-" ter other remedies less uncertain in their spe-" cific qualities, and less injurious to the health

" and comfort of the diseased in their conse-
" quences."

Hoc verum esse, omnibus confitendum; neque tamen minus verum est, opinionem universam, quod hydrargyrum vi specifica solum gaudeat, multa conditionis supra descriptae exempla nuper exhibuisse, atque adhuc etiam sub usu satis cauto, habito, exhibere perstat. " Inflam-
" matio illa gangraenosa quae serpit, atque tam
" pestifera rapiditate tota, circa pelvim inferio-
" rem, integumenta, in foeminis juvenibus
" atque teneris corrumpit, ab usu hydrargyri
" persuasissimum habeo, oritur; ea enim, quam
" quavis alia causa, ulcera irritabilia atque ve-
" hementer inflammata longe saepius oriun-
" tur *."

Nemo quidem aut medicina facienda, aut valetudinariis venereis frequentandis, non viderit ulcera per genitalia vagantia, ad femur atque abdomen serpentia, hujus cavitatem etiam aliquando denudantia, febre demum hectica et morte finientia, hydrargyrum non specificum

* Cooper and Travers' Surgical Essays.

reputandum esse, imo etiam certis corporum proprietatibus oppositum, veneficum fieri docentia.

His effectibus, cum marasmo, mania, erethismo, eczemate, &c. probe compertis, investigatio alius specifici eo acrius acta est, atque haec inquisitio, ceu illa quondám lapidis philosophorum, non sine utilitate quadam agitata est. Dr Balfour distinctionem inter gonorrhoeam et syphilidem primus indicavit *; quae distinctio ex auctoritate cel. Duncani senioris, atque Benjamini Bell deinceps praevaluit.

Doctrinam pseudo-syphiliticam illustri auctoris nomen Angliae commendavit, atque post dissertationem aestimabilem cl. Carmichael discrimina ampliora inter syphilidem veram et spuriam duci coeperunt. Medici hactenus successu animati, etiam ultra progredi voluerunt, atque inventum est cancrum venereum opinione multo rarius occurrere.

---

* Vide Dissert. Med. Inaug. de Gonorrhoea Virulenta, 1767, auctore F. Balfour.

Doctor G. Ferguson in iv. volumine Actorum Medico-Chirurgorum curationem, a chirurgis exercitus Lusitanici, adhibitam descripsit, quo patuit eos parum vel nihil hydrargyri, adhibere solere. Confitendum quidem est, nos ea regione multo minus felices in syphilide fuganda, quam Lusitanos extitisse.

In Gallia conamen audacissimum factum est, non tantum hydrargyrum, sed syphilidem ipsam evertere, acerrimo libello Strasburgi anno 1811 edito, auctore anonymo; quem tamen stylum excultum, scientia scriptorum tam veterum tam recentium de syphilide ubique manifesta, nomine haud indignum fuisse arguunt. In eo, quisquis fuit, probare conatur, syphilidem morbum cutis epidemicum fuisse, qui universam Europam peragravit, adeo celeriter versus finem saeculi xv., ut rerum publicarum administratores ubique terrore percelleret; quique ut alia hujusmodi mala brevi cessavit, dum is morbus, quem hodie syphilidem vocamus, a vetustissimis temporibus extiterit.

" Il n'existe pas une seule maladie, un seul

"derangement de l'economie animale, attribué "au virus venerien, qui n'ait été connu des mé-"decins Grecs et Romains: gonorrhée, chan-"cres, verrues, pustules, exostoses, &c., ils ont "tout decrit." Patebit porro a loco infra citando, hydrargyrum non ei multum pro remedio arrisisse.

"Le mercure agit sur les glandes salivaires, "les irrite, et augmente prodigieusement la sé-"crétion de la salive. La face, le cou se tume-"fient; les dents noircissent, s'ebranlent et "tombent; les gencives se corrodent; des ul-"cères dans toute la bouche sans cesse humec-"tée par une salive âcre causent des douleurs "atroces; la carie des os de la machoire, du "palais, et du nez survient quelquefois, et cet "affreux remède a été pendant plus de trois "siècles presque le seul pour guerir une mala-"die soi-disant venerienne. La terreur que la "verole inspira aux malades, et aux médecins, "peut seul rendre raison de tant de cruelles ex-"travagances."

Imperium quidem corporis super hunc mor-

bum, ni mentis praejudicia obstitissent, a vetustissimis scriptoribus inferri potuit. Fracastorius * Poeta eum per victum sordidum, laborem vehementem sanatum se novisse, canit; atque Fallopius † et Fracantianus ‡ idem confirmant. Huic potestati nunc extra dubium collocatae, fama variorum methodorum, et medicaminum specificorum tam saepe in usum introductorum jure tribuatur.

An ulla vel omnia ex his Dominum Rose legionis, Coldstream Guards dictae, chirurgum impulerit, dicere nequeo: sed ei utique debetur, honos medicis Britannicis primum enunciandi, quod omnia ulcera penis primaria absque hydrargyro sanabilia sunt. Ante hanc rem, publice divulgatam, pauculi chirurgi exercitus Gallias occupantis in eadem investiganda versabantur, atque ex eorum corroboratione methodus Domini Rose in exercitu generalior facta est. Opinio hujus curationis, clamore et acrimonia quorundam, nihil obsistentibus gliscit in dies

* De Syphilide, lib. ii.

† De Morbo Gallico. ‡ Ibid.

inter medicos civiles, atque hinc ratio medendi clarissimorum Britanniae chirurgorum, hoc ipso tempore, haud leviter temperata videtur.

CANCER VENEREUS.

Certa morbi forma communi quasi consensu cancer (nostris chancre) denominatur. Johannes Hunter definit: "A sore of a somewhat round form, excavated, without granulations, with matter adhering to the surface, and with a thickened edge and base." Quando non hydrargyro interpellatur, progressus ejus lentus, sed satis constans, versus sanationem esse videtur. Quum in dorso penis situs, (ubi melius mutationes ejus observare licet,) facies ejus plerumque purpureo colore occupatur, qui quarto vel quinto quoque die in laetiorem permutatur. Cito purpuram resumit, atque hac ratione usque ad diem decimum septimum colores alternant. Tum ulcus magnitudine augetur, ex callo circumjecto absorpto, quae absorptio perstat donec omnis duritia sublata fuerit. Ab hac re fortasse olim "cancer semper

"progrediens" appellatus est. Sed hic progressus ad diem trigesimum absolvitur, consistit, atque ulcus tum ut aliud ulcus commune sanescit, callositate tamen aliqua saepe relicta.

Circa hoc tempus incipiendae absorptionis, species cutis, marmora maculosa referens, aliquando supervenit.

Cancer forma est simul rarissima ac tardissima ulcerum venereorum; sed cum sanatum semel fuerit, minus frequenter constitutionis infectae indiciis excipitur.

Hujusmodi signa constitutionis viro imbutae, post cancrum observata sunt,

Alopecia,

Lepra syphilitica.

Syphilidis describendae compendiosus esset labor, si non alia ulcera ex concubitu nascentia, nec levioris momenti quam cancrum, sive difficultatem, in primo ipsorum superventu, sanandi, sive signa quibus originem dant respicias, considerare oporteret.

In duas classes et quatuor species, ut Domini Carmichael ostensum, commodissime dividi

possunt. Alias distinctiones supervacaneas habeo.

PRIMA CLASSIS.

Species 1ma, Ulcus superficiarum sine duritia, sed cum marginibus elevatis.

Species 2da, Ulcus superficiarum sine duritia, sine marginibus elevatis.

Hae duae species eaedem esse possunt, sed pro vetustate diversa, aspectu variantes.

CLASSIS SECUNDA.

Species.—Ulcus Phagedainicum.

2da, Ulcus Gangraenicum.

De Prima Ulcerum Classe, plus dicere quam nomen indicat, vix opus est. Pustula incipiunt, atque nunquam excavantur aut indurantur; contra equidem, potius supra cutem circumjectam eminent. Hoc animadvertenda sunt, quod bubo saepius his, quam aliis quibuslibet genitalium ulceribus succedere soleat.

Signa secundaria, quibus haec ulcera originem praestant, sunt,

1. Eruptio papularis, quae tumoribus articulorum majorum et iritide excipitur.

2. Tubercula parva acne simplici WILLANI respondentia.

CLASSIS SECUNDA.

Ulcus Phagedainicum et Gangraenicum.

NOVIES forte ex decem vicibus, ulcus phagedainicum in glande situm est, et in progressu suo rapido praeputium saepe corripit. Character ejus cancro toto coelo contrarius est : latum enim superficiarum primo est, sine duritia vel callo; atque progressu ejus pernicioso, rapidissimum.

Ulcus gangraenicum, a phagedainico vehementia sola, ni fallor, discrepat. Eadem generalia corporis affecti signa sequentia habent, eandem propemodum corporis perturbationem gignunt.

In Gallia, ubi hoc ulcus haud infrequens obvenit, ab origine usque prima mihi occasio fuit.

Vesicula livida primo apparet, plerumque circa coronam glandis. Haec nonnunquam ad magnitudinem nummi argentei, semisolidi dicti, usque expanditur, priusquam linea separationis notari potest. Deinde eschara ejicitur, et vera phagedainae indoles fit manifesta. Iterum brevi, eschara obducitur simili, cui exulceratio supervenit. Hac ratione saepe tota genitalia corrumpit.

Huic morbo milites in Lusitania nomen, " Leonem Nigrum" indiderunt, colorem atque naturam ejus ferocissimam indicaturum.

Signa constitutionis corporis affectae post ulcera phagedainica atque gangraenica occurentia fuerunt;

1. Eruptio tuberculosa.
2. Exulceratio pharyngis et faucium latissima.
3. Dolores ostocopi.
4. Periostitis.

ULCERUM PRIMARIORUM CURATIO.

Cancer et primae Classis Ulcera.

Ubi cancer, ulceraque primae classis nec bu-

bone nec inflammatione stipantur, nunquam aegrum lecto continere opus est. Nihil, quam ulcus mundum servare, lotione astringente ex acetate plumbi comparata, fere postulat. Sulphas cupri post certum tempus adhibitum sanationem expedit. Nitras argenti nunquam cancri curationem accelerat; sed ulceribus superficiariis utiliter adhiberi potest.

ULCERUM PHAGEDAINICORUM ET GANGRAENICORUM CURATIO.

Alterutrum ex his febre symptomatica mature stipatur. Pulsus fere 130; cutis calida et arida; lingua sordida est. Quies absoluta, amplae sanguinis missiones, tam generales quam topicae, purgantia salina, et diaphoretica, fuerunt auxilia felicissima. Cataplasmate ex dauci carotae radice composito, ad partem interim admoto.

Sanguinis missionem topicam per hirudines praecipuum remedium aestimo; atque metus ne morsus eorum in ulcera degenerarent, aut morbi naturam participarent, usum eorum non pro-

hibere debent. Tantum irritabilitatis et inquietis noctu existit, ut opium exhibere, nec unquam sine commodo, cogamur.

Bubo.

Bubo omnia haec ulcera consequitur, saepius tamen primam classem et cancrum. Curatio hic usurpata felicissima fuit. Aeger statim lecto cohibetur; medicamentum purgans exhibetur. Hirudines, si multum inflammationis adsit, applicantur; saepe quidem haec duo ultima negliguntur.

Compressio tunc fit ope fasciae arcte circumligatae. Haec quidem dolorem sub initio gravem concitat, ideoque paulatim augenda erit. Dolor fere intra paucas horas cessat, atque tunc compressio ex arbitrio intendi potest. Paucis postea diebus, bubo hunc ad modum curatus, invenietur mobilis, faciem complanata, atque mole imminuta. Brevi postea penitus resolvitur. Aliquando vero accidit bubones, etiam his remediis exhibitis, ad suppurationem properare. Prudentissima tum curatio erit non

puris maturationem expectare, sed fluidum quam primum perceptum apertura minima evacuare, iterumque pressionem adhibere. Hoc modo curati, bubones aperti haud minus infrequentes fiant, quam post aliam curationem frequentes existunt. Hic minime celandum est, quod bubones vetusti, saepenumero curationi syphilidis absque hydrargyro, succedant; atque mea saltem sententia validissimum adversus hunc methodum argumentum constituit. Quantum ipse viderim, ii sine hydrargyro morbum curantes, hoc impedimentum non memoriae publice tradiderunt.

Cancri saepe in forma circuli indurati consanescunt, quae induratio per aliquot postea hebdomadas continuetur. Ad hunc originem tales bubones plerumque vestigari possunt, sed ulcera primae classis, quibus nulla unquam induratio erat, consequi novi. Relatio inter bubones proxime ulcera primaria sequentia, atque hos chronicos latissima est. Hi plures fere glandes occupant, ad insignem magnitudinem crescunt, nec tamen cutem decolorant, parum molestiae inter ambulandum, parum doloris, ex

pressu, exhibent. Lente suppurant, atque suppurati, tardissime ad cicatricem perveniunt, licet rarissime hoc statu late vagantur.

Signa Secundaria.

Nullum pathologiae axioma certius stabilitum reor, quam illud, quod virus venereum certis paret legibus; ita ut, ulcus quodque primarium, signum suum peculiare inter constitutionis mala, i. e. in symptomatibus secundariis, habeat.

Observatio iterata constantiae horum signorum, ordinisque, hanc sententiam mihi confirmavit. Non is sum, qui nullam aliam formam signorum totum corpus afficientium, quam ea jam sub capite exulcerationis primariae memorata curationem sine hydrargyro subsequi contenderem; sed per tempus quo hanc praxin usitavi, nullam egomet aliam vidi. Hinc persuasus sum, morbos illos proteiformes quos legimus, rarissime syphilidos sequelas esse; quin talia anomala mala hydrargyri potius, vel hydrargyri saltem cum lue male copulati, progeniem.

Cancrum sequentia.

Alopecia in duobus militibus, olim cancro curato demissis, sed iterum propter bubonem vetustum supra descriptum in valetudinarium post septimam hebdomadam admissis, occurrit. Sub curatione pili de plagulis capillitii deciderunt, illud albidum admodum, et incanum quasi relinquentes. Morbus a porrigine decalvante WILLANI in hoc discrepabat, quod capilli residui valde delicati, coloreque mutato facti sunt. FRACASTORIUS * hisce verbis alopeciam memorat : " Nonnullis et pili cadunt et barba, " aut superciliorum aut capitis, quod deformes " et ridiculos homines facit." ASTRUC quoque, cum signis quae hydrargyro obstant, alopeciam adnumeravit. In hisce militibus, notandum est, nulla eruptio videnda erat, aut in capillitia aut alia corporis parte.

Lepra vel Psoriasis Syphilitica, alias Macula Cuprea notissima.

Haec optime descripta extat in libro Docto-

* De Curatione Syphilidis.

ris WILLAN, sub nomine leprae syphiliticae, ad quem lectorem relego. WILLANUS scripsit, "When the constitution is under the full in-"fluence of mercury, the sides of the patch "sink, and become paler." Hoc quidem vulgo fit, ubi nullum hydrargyrum usurpatum est; sed aliquando ad exulcerationem progreditur crustis formatis, sub quibus pus colligitur, atque hoc ulcus ingenium ignavum parentis mali participat.

Ulcera consequentia Classis Primae.

Eruptio papularis aut lichen syphiliticus est, uti WILLANUS describit, "an extensive erup-"tion of papulae connected with internal dis-"order, recurrent, not contagious." Hae papulae plurimae sunt in facie, collo, medio corpore, sed rarissime in extremis membris videndae sunt. Non omnes eodem die, ut alia exanthemata, sed per duos tresve dies, erumpere persistunt; quo tempore febris eruptionis quoque percontinuat. Quando proventus plenus factus fuit, decedunt, cuticula desquamata.

Nec raro, secunda et tertia messis ordine eodem succedunt, alia alii superducta. Fauces semper arent; deglutitio difficilis est; et tumor aliquando, dolorque articulorum majorum, vix, aut ne vix quidem rheumatismo dignoscendi. Iritis quoque hujus morbi desquamationem comitatur.

Alia eruptio tuberculorum exiguorum acne simplici WILLANI congrua, non nisi raro ulcera primae classis sequitur.

Ulcera Gangraenica et Phagedainica Sequentia.

Signa ad constitutionem corporis relata, hanc exulcerationis speciem subsequentia, sunt, eruptio tuberculorum magnorum, aut per se aut pustulis mixtorum, quae cito in ulcera, crusta obtecta, degenerant. Haec a marginibus, ubi crusta crassissima fit, extenduntur. Post certum tempus crusta e centro rejicitur, ubi processus sanandi viguisse invenitur. Haec ulceris proprietas, qua de centro sanescit, crusta inde

rejecta, cum margine simul elevato, poculi speciem ei conciliant.

Exulceratio pharyngis posterioris ampla superficiaria crusta aphthosa contecta, etiam ad angulum oris producta, ulcerum secundae classis sequela est. Dolores ostocopi nonnunquam adeo graves sunt, ut somnum omnino prohibent, et periostitis crebro occurrit.

Signorum secundariorum Curatio.

In alopecia supradicta capilli haud minus quam ante uberes redditi sunt. Capillitio raso, atque unguentis stimulantibus rite excitato, morbi tuberculosi et squamosi ad sanitatem perfectam perducti sunt; guaico, sarsaparilla, balneo ex acido nitro-muriatico, antimonii praeparatis, purgantibus identidem adhibitis.

Periostitis in omni exemplo, sanguinis missioni per hirudines, sarsaparillae, balneo calido cessit.

Dolores ostocopi maxime levati sunt pulvere ipecacuanhae compositae.

Eruptiones papulares regimine stricte refri-

gerante curatae sunt. Tumores articulorum et iritis hanc morbi conditionem aliquando comitantes, maximam venaesectionem desiderabant, quae curatio plerumque efficax fuit.

In tribus tamen iritidis, post desquamationem exemplis, hydrargyro uti tandem coactus sum. Haec in Eblana occurrerunt, ubi, ut vehementer suspicor, lues graviore forma quam in Gallia grassatur. His tamen tribus exceptis, ne granum quidem unum hydrargyri aut extrinsecus aut intrinsecus exhibui syphiliticis, ex eo tempore quo primum hanc quaestionem aggressus sum. Forsan unum ex supradictis exemplis hic tradere haud inutile sit, quoniam ostendit iritidem signum esse et effectum veneni morbidi, minimeque hydrargyri progeniem, uti nuper scriptum est *.

Gul. Cooper, praefecti famulus, bubonem in inguine utroque unum habens, quem ex ulcusculo parvo (penis) intra hebdomadam et sine ullo remedio sanato, ortum traxisse, narravit. Nulla cicatrix relicta est. Bubones pres-

* Vide Cooper and Travers's Surgical Essays.

sione discussi sunt, atqui quum jam parum abfuit, quin dimitteretur, correptus est capitis dolore, nausea et vomitu, quae postea in messem copiosam pustularum desiit. His desquamatis, tumor dolens cubiti accessit, propter quem venaesectio ampla adhibita est.

In debilitate huic subsequente, iritis supervenit. Sanguis per hirudines detractus est; purgantia imperata. Nihilominus cornea obfuscatur; pupilla lacera irregularis fit; striae lymphae coagulantis a pupilla ad lentis capsulam extendere visae sunt; quae signa omnia evanuerunt post corpus submuriate hydrargyri saturatum. Similia signa aliis duobus exemplis hydrargyrum flagitabant.

CONCLUSIONES.

Postquam syphilidem absque hydrargyro curare incepi, in magnis forte praesidiis versatus fui, ubi praeter legionem propriam, quatuor saltem aliae legiones hospitatae sunt, earumque chirurgi, aut

1. Hydrargyro ut olim utebantur, vel

2. Hydrargyro penitus abdicarunt, vel

3. Hydrargyri parvis portionibus usi sunt, et ad certa tantum signa tollenda, sed nunquam ad salivationem excitandam.

Ex his variis methodis inter se comparatis sequitur,

I. Ubi hydrargyrum usurpatum est ulcera primaria lentius sanescebant.

II. Ubi hydrargyrum adhibitum est, signa secundaria rara erant; sed quando occurrebant, natura graviora.

III. Ubi hydrargyrum non usurpatum est, signa secundaria multo magis frequentia erant, sed indole mitiore; in nullo exemplo ossa carie afficientia, sed certe ad curationem permanentem aliis quam hydrargyro remediis perducta.

IV. Ubi hydrargyrum primo non usurpatum est, nec nisi postea ad signa secundaria tollenda; haec etiam pauculis hydrargyri granis quasi fascinata cedere solebant.

V. Ubi hydrargyrum usurpatum est, sed iden-

tidem copiaque parva adque certum propositum, curatio celerrima procurata est.

VI. Haec ultima curandi ratio originem haud raro signis secundariis dedit; quae subinde hydrargyro non cederent, atque semper difficillime tractantur.

Istae conclusiones chirurgorum de nova syphilidem curandi ratione sollicitorum, qui facili communicatione deductionem falsam forte nascentem corrigere potuerunt, fallaciae parum obnoxiae videntur.

Ex magno numero sine hydrargyro curatorum in legione, cujus rebus medicis ipse praesum, quo tempore exercitus reductus est, plurimi, maxime brevis staturae causa, dimissi fuerunt, sed nulli sequelis syphilidis affecti. Ad tercentos adhuc restant, optima sanitate fruentes, quorum nonnulli sexies vel septies etiam, hac ratione curati sunt, nova semper contage contracta. Alii iterum uxorem duxerunt, liberorum sanorum patres nunc facti, horum u-

num ter etiam sanatum fuisse, epistolae infra datae me certiorem fecerunt *.

Dictum fuit nuper acerrimo auctore, quod nasus tam saepe, apud Lusitanos, mutilus, quantum errant detrectatores hydrargyri, vehementer evincat.

Auctoritates quas citat spectatissimas, gravissimas quidem esse agnosco. Viros ipsos jamdudum admirari didici; sed nihilominus frequentia hujus mutationis, res quae facile acutissimos fallere posset, non ita plane admittitur ab omnibus, ut curationes nostras dirigere possit.

Multi sunt, qui in Lusitania medicinam cum exercitu fecerunt, nec tamen hanc notabilem admodum faciei jacturam viderunt.

Ego quidem, totis bellis, ibi loci factis, interfui, regionem iterum iterumque peragratus, maximam populi partem vidi; sed plures pene quam naso mutilos me vidisse, sancte assevero.

* At your request I have examined the child of Francis M'Atarsney, who was cured of chancre with bubo three several times, and who had since married. The child has no disease of the skin, and is to all appearance perfectly healthy.—*Dublin, Feb.* 26. 1820.

Lectorem suas conclusiones de alterutrius curationis praestantia ducere permitto, unum addens:

Hydrargyrum, adhuc utile esse remedium, si ad syphilidem curandam prudenter adhibitum.

FINIS.